

F.K.
124,
69.

X 187 6 220


712
II i
2144

LECTORI
CUM DEBITA HONORIS NUNCUPATIONE
CHRISTIAN. Schüz / ILL. AUGUSTEI
 INSP.
S. P. D.
 SEQUE
 DE
ORTU ET PROGRESSU CHRI-
STIANÆ RELIGIONIS IN
GERMANIA

DISSERENTEM PUBLICE

INDICIT.





Litteras cùm dicimus, breve nomen, sed rem amplissimam ac admirandam prorsus dicimus; quarum pauculis figuris continetur, quicquid sacri, profani, publici, privati nominari aut cogitari potest. Ut vox auribus, sic littera oculis loquitur: ut absque his si foret elementorum ductibus, omnium rerum facile destitueremur memoriâ. Inde & si Benzoni & Lælii Bisceolæ sua fides, de Indis narratur, quod artificii hujus inventionem ita demirati miseri sint, ut visis primò litterarum characteribus, in chartâ vel libro consignatis, illicò accurrerent auresque admoverent, audiendi causâ, quid, ut ipsi putabant seriò, loquerentur? Res digna rudibus istis, incultisque homuncionibus! Ecquando verò litteræ primùm cœperint, plusquam Metonis annus est, ex quo inter eruditos lis agitur. Earum usum esse vetustissimum, & vel à primi statim ævi mortalibus ante cataclysmum repertum, testimonio Josephi A. J. l. c. 3. non pauci adserunt. Verba Græci Livii (sic Josephum alicubi Hieronymus vocat,) idiomate suo dabimus; sed emendatiora non nihil post seculi Varronem, Gerh. Joh. Vosium, nostrâ qualicunque curâ, quam in editis vulgò Codd. habentur: usque dum Cunæus aliquis, Petitus aut Bosius exsurgat, qui scriptorem diligentissimum pristinae restituat integritati. Σοφίαν, αἰτ, τὴν πρὸ τὰ ἐξάνια, καὶ τὴν τέτων διακόσμησιν ἐπενόησαν. Ἰστέρι δὲ μὴ διαφυγεῖν τὰς ἀνθρώπους τὰ δεινόμενα, μηδὲ, πρὶν εἰς γνῶσιν ἔλθεῖν, φθαρήναι, προσειρηκότῃ ἀφανισμόν Ἀδάμ τῶν ὄλων ἔσεσθαι, τὸν μὲν κατ' ἰχὺν πυρός, τὸν ἕτερον δὲ κατὰ βίαν καὶ πλῆθ' ὕδατος, σήλας δύο ποιησάμενοι, τὴν μὲν ἐκ πλίνθας, τὴν δὲ ἕτεραν ἐκ λίθων, ἀμφοτέρωθεν ἐνέγραψαν τὰ δεινόμενα, ἵνα καὶ πλινθίνης ἀφανιδείσης ὑπὸ τῆς ἐπομβρίας, ἢ λιθίνης μείνασα πρὸς ἀρχὴν μαθεῖν τοῖς ἀνθρώποις τὰ ἐγγεγραμμένα δηλώσῃ. καὶ πλινθίνῃ δὲ ὑφ' ὕδατων ἀναερεθῆναι. μένει δὲ ἄχρι δὲ δεῦρο κατὰ τὴν συειάδα ἢ λιθίνῃ. Nos tametsi litterarum antiquitati nihil derogatum imus, ad sensum tamen columnis istis Sethianis non injuriâ cohibemus; secus ac docti magno hæc numero crediderunt. Unde enim hæc traditio

traditio ad Josephum profluxit, Adamo adsignans, quæ Noa-
cho coelitus obtigerunt? Cur sideralis scientia, nec res potius
Ecclesiæ, ad posteritatem propagandæ, inscriptæ fuissent? De
Adami oraculo conficto ubi vola, vel vestigium? Primus de
judicio Domini, per ignem instituendo, publicè concionatus
est Enoch; primus de diluvio per aquam Noah. Et sanè si la-
pidea usque ad Josephi tempora superfuit in Syriâ, cur locum
non addidit? cur à nemine prætereà visa, à nemine fuit relata?
Ipse, sui oblitus Josephus infra c. 9. memorat, turrim Babylo-
nicam ideò fuisse exstructam, ut in eâ contra aquarum illuvi-
um se tuerentur. Jam si semel futurum diluvium ex Adami
vaticinio constitit, cur opus fuit tantâ adversus aquas fabricâ?
Ignis potius exterminatio adhuc pertimescenda, ab ipsorum
audaciâ machinam aliquam & receptaculum expresisset. Me-
ritissimo igitur suo columnæ istæ in spongiam incumbunt, sibi
hoc unum inscribi postulantes: ἀπὸ τῆς ἀμελείας. Sed misis in
præsenti hisce talibus; de ætate cum primis nostræ, h. e. patriæ
lingvæ litterarum disquirere sedet; quas prisca Germani cum
ignarisimis sciebant. Loqui id videtur Tacitus, de M. G. c.
19. *Litterarum*, inqviens, *secreta viri pariter ac fœmina ignorant.*
Per literas ipsarum studia Althammerus intelligit. Bernegge-
rus de litteris & earum scripturâ accipit. Phil. Cluverius hoc
ideò factum censet, ne fortè pudicitiam hoc pacto prostitue-
rent foemellæ. Quâ de causâ *haud ita pridem etiam in Saxoni-
cis Germania nationibus, ubi plurimum adhuc veterum morum per-
durat, item Prusciâ ac Livoniâ, cæterisque Septentrionis partibus, tur-
pe fuisse fœmina litteras scire*, idem subdit G. A. l. i. c. 20. edit. Sy-
nopt. Joh. Bunon. Videlicet hisce pudicitiam sollicitari, ac sæ-
penumerò prodi. Druidas, Gallorum itemque Germano-
rum veterum Philosophos, Vates & Sacerdotes, in omnibus
ferè publicis negotiis, privatisque rationibus litteras adhibu-
isse Græcas, observat Cæsar de B. G. c. 6. Idem etiam confir-
mat Strabo, cùm l. 4. *contractus & pacta eorundem Græcè scripta
fuisse adstruit.* Sub Caroli M. auspiciis acta publica Latinè exara-
ta fuere. Testatur id post plures alios Stumpfius l. i. Chron.
Helv. c. 13. *Carolus M. hat erstlich erfunden Deutsche Geschrifte
mit Lateinischen Buchstaben zuschreiben. Dennoch ist die-
selbe Deutsche Geschrifte also schwach und unverständig gewesen/
daß man noch etwa mannich hundert Jahr alle Berichtshändel/
auch Kaiserliche Briefe und Freyheiten müssen in Lateinischer
Sprache*

JK II; 2144

Sprache stellen: welche man erst in dreyhundert Jahren rechte
in Teutscher Sprache hat geschrieben. Quicquid horum sit,
usque ad ann. clō cc. & Friderici II. atque Rudolphi I. tempo-
ra, Latinā litteratura, immō & in publicis lingvā usos fuisse
constat. Ut autem ingens oppidō beneficium scriptura
sit, longē tamen præminet Religio, sive vera DEUM colendi
ratio, litteris hodiē ut plurimum scribi vel imprimi quoque so-
lita. *Id enim est hominis officium, in eoq̄ solo summa rerum & omnis
beate vite ratio consistit, quandoquidem propterea ficti & inspirati à
Deo sumus, non ut cælum videremus & Solem, (quod Anaxagoras
putavit,) sed ut artificem Solis & cæli, DEUM, purā & integrā
mente coleremus,* rectē ait lacteus ille Tullianæ eloquentiæ flu-
vius, Lactantius, l. 6. Inst. div. c. 1. Quod igitur bonum, fau-
stum, felix, fortunatumque sit, de ortu & progressu
Christianæ Religionis in Germaniā, ad diem cra-
stini, horā IX. antemerid. è cathedrā Auditorii Maj. dissertabo
publicā. Ad quam acroasin litterarum ingenuarum MÆCE-
NATES, ANTISTITES, FAUTORES, CUL-
TORES, sub gratā talionis lege, demissè & amanter per-
quā presentibus invito. Quantum in me erit, in id enitar
sedulō, ne quem collatæ operæ jure ex omni parte poeniteat.
P. P. Weissenfelsæ, a. d. V. M. Mai, A. O. R. clō lcc LXXIX.

1777

mc

F.K.
124,
69.

X 187 6220

712
II i
2144

ORTU E
STIA

CUM
CHRIST

SSU CHRI.
ONIS IN

CE

UPATIONE
AUGUSTEI

